# DISPUTATIO

## INAUGURALIS

## DE

# ANEURISMATE.

# DISPUTATIO
## INAUGURALIS
## DE
# ANEURISMATE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES AITKIN,

Scoto-Britannus,

SOC. REG. PHYS. EDIN. SOC. EXTRAORD.

---

*Feci quod potui, faciant majora potentes.*

---

*Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.*

---

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1814.

VIRO SPECTATISSIMO,

JOANNI BARCLAIO, M. D.

COL. REG. MED.

ET SOCIET. REG. EDIN. SOCIO, &C.;

EDINBURGI, ANATOMIAE ET CHIRURGIAE

ERUDITISSIMO PERITISSIMOQUE

PRAELECTORI;

OB PLURIMA ET MAXIMA AMICITIAE SIGNA,

ET MULTA BENEFICIA NUNQUAM OBLIVISCENDA,

IN EUM COLLATA,

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

GRATISSIMO ANIMO,

DICAT ATQUE CONSECRAT

AUCTOR.

NECNON,

VIRO OPTIMO,

THO. MASTERMAN WINTERBOTTOM,

M. D.

APUD SHIELDS,

IN COMITATU DUNELMENSI,

MEDICINAM FELICITER EXCOLENTI;

IN VARIIS SCIENTIAE ET LITERARUM PARTIBUS

NEMINI SECUNDO;

ET IN MEDICINA ET ALIIS UTILISSIMIS STUDIIS

SUO PRIMO ET BENIGNO PRAECEPTORI;

HOC OPUSCULUM,

PIGNUS PEREXIGUUM, SED SINCERUM,

ANIMI GRATI,

ET BENEFICIORUM HAUD IMMEMORIS,

OFFERT

JOANNES AITKIN.

To Dr Ogelby
with the Compliments of
the Author

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

# ANEURISMATE.

Tumori omni, qui a parte arteriae praeter naturam dilatata efficitur, vel ab sanguine, per vulnus arteriae, in communem membranam cellulosam effuso, originem ducit, apud chirurgos nomen *Aneurisma* imponitur.

Aneurisma, plerisque auctoribus, in *verum* et *spurium* dividitur.

*Aneurisma verum* est tumor a sanguine arterioso *, tunicis arteriae integris, et tan-

* Verbo " Arterioso" sensu in quo vulgo apud medicos intelligitur usus sum ; sed, ut *sanguis arteriosus* e pulmonibus ad cor, per ve-

tum dilatatis apparentibus. Cum arteria in parva tantum ejus tractus parte dilatari videtur, et fines tumoris possunt determinari, *aneurisma verum limitatum;* tumore autem oblongo, ad longitudinem arteriae ita extenso, ut fines ejus vix distingui possint, *aneurisma verum illimitatum,* nuncupantur.

*Aneurisma spurium* est tumor a sanguine arterioso, per vulnus arteriae, extra ejus tunicas in communem membranam cellulosam circumjacentem, vel in propriam canalis tu-

---

nas; *sanguis venosus* ab corde in pulmones, per arterias devehitur, verbum in hac significatione absurdum esse videtur. Sanguis nigro colore, qui ab omnibus corporis partibus devehitur in pulmones, a Bichato *sanguis niger,* a Barclaio *sanguis pulmonaris* appellatur. Quum idem sanguis rubro colore defertur a pulmonibus in omnes partes totius corporis, seu in totam compagem vel systema animalis, a Bichato *sanguis ruber,* a Barclaio *sanguis systemicus* appellatur. Sanguinem autem, utriusque coloris, contineri et in venis et in arteriis, primus docuit celeberrimus Harveius, qui, vas, ad illud tempus, improprie appellatum *vena pulmonalis,* revera, et constitutione et officio esse arteriam, et vasa nominata *arteriae venosae,* revera, constitutione et officio esse venas, clare demonstravit.

Vide Harv. de Motu Cordis. cap. v.

Bichat Anatomie Generale, tom. ii, et Barclay's Description of the Arteries, Introduct.

nicam cellulosam effuso. Hoc quoque in *limitatum* et *illimitatum* distinguitur. Sanguis, parva vi ex arteria erumpens, vel propter vulneris angustiam, vel propter resistentiam natura vel arte adhibitam, membranam cellulosam paulatim distendit, in sacculum subrotundum condensat, et ita tumorem circumscriptum format: hic *aneurisma spurium limitatum* nominatur. Cum sanguis, majore arteriae vulnere, vel vi minore effusioni obstante, in membranam cellulosam ubique injicitur, illum tumorem diffusum et inaequabilem efficit, qui *aneurisma spurium illimitatum* appellatur.

*Aneurisma mixtum* est sanguinis in membranam cellulosam, sacculo aneurismatis rupto, effusio. Vir haud parvi nominis, cel. Doctor Gul. Hunter, his tumoribus, quos ille formari tunica arteriae externa divisa, tunicis internis integris et in saccum extensis, ut peritonaeo in hernia soleat evenire, existimavit, hanc appellationem tribuit; sed nunc satis ab experimentis compertum est nullum aneurisma posse hac ab causa oriri.

Sunt aliae quoque duae, praeter has jam traditas, aneurismatis divisiones, *aneurisma varicosum* et *aneurisma ab anastomose*, de quibus pauca postea dicenda sunt.

Hae sunt aneurismatis divisiones ab auctoribus medicis traditae; sed si observationes et opiniones claris SCARPAE, Professoris Paviae, paucos ante hoc annos in lucem prolatae, pro veris sint habendae, aneurismatis distinctiones in *verum* et *spurium* pro falsis in toto rejiciendae sunt; nam, post permultas investigationes, inquit, in corpora eorum factae, qui ab aneurismatibus internis vel externis morti occubuere, modo certissimo compertus sum, unum tantum genus formamve morbi esse, nempe id, solutione continuitatis, vel tunicis arteriae propriis ruptis, cum sanguinis in membranam cellulosam circumjacentem effusione effectum; quae continuitatis solutio, interdum a vulnere, vel ab ulcere efficitur, vel a conditione morbida, a steatomate, sive materia calculosa, vel ab arteriae

tunicarum ruptura, id est, tunicarum internae et muscularis, dilatatione harum tunicarum inusitata, formationi hujus morbi haud necessaria; et itaque omne aneurisma, tam internum quam externum, tam circumscriptum quam diffusum, semper effusione formari.

Opiniones Scarpae, de hujusce morbi natura non sunt novae, nam ab omnibus medicis usque ad tempus Fernelii fuerunt receptae. Hic medicus primum sententiam promulgavit, non ab observationibus et experimentis, sed a falsa ratiocinatione tantum deductam, aneurismata posse oriri ab omnium arteriae tunicarum tam internarum quam externarum dilatatione; quamvis multi clari viri, ad id tempus, hanc opinionem abjudicaverunt atque rejicerunt, tamen in doctrinas scholarum paulatim recepta fuit. Non est mihi in animo, de hac disputatione in arenam descendere: nihilominus, dicere mihi liceat, opinionem Scarpae, et vetustiorum medicorum, de hac re, tam multis observationibus, in corporum mortuorum scrutatione fac-

tis, sustentatam et confirmatam esse, ut illis toto animo assentior *.

Aneurisma, iterum, ab partibus morbo affectis in internum et externum possit dividi.

Symptomata quae aneurisma externum ab caeteris tumoribus distinguunt, non semper certa et fixa sunt, sed in initio fere talia qualia ad indicandum morbum necessaria sunt. Noscitur ex tumore ad arteriam sese ostendente, plerumque post illatam quandam injuriam oborto, figura ovato vel cylindraceo, plus minusve circumscripto ex parvo colliculo lente insurgente, basi ut plurimum larga praedito, cutis colorem vix mutante. Parvus tumor pressioni cum aliquo strepitu cedit, idemque cessante pressione redit, et arteriae pulsum refert: pressa quoque supra tumorem arteria evanescit: morbus sensim augetur. Major autem tumor coaguloque repletus, sensum formicationis creat, pressuque

* Nam hae dilatationes, quae saepe in aortis senum, sine ullo incommodo, eveniunt, haud dignae esse nomine morbi videntur.

non imminuitur; pulsus infra tumorem parvus debilis esse solet. Praeter haec symptomata, fere omnia quae aneurisma circumscriptum comitantur, alia quoque oriri possint, cum morbus per longum tempus perduraverit, ut irritationes, suppurationes, ossium caries, &c.

In symptomatibus quae aneurisma diffusum, vel sanguinis in membranam cellulosam artus injectionem designant, medicus vix falli potest: praegressa injuria naturam morbi satis certe indicat. Aneurismatis autem interni diagnosis, nisi tumor pulsans aut tremulus, extus sentiri possit, incerta est atque ambigua, quum reliqua signa, pulsus inaequalis, cordis palpitatio, dyspnoea, ex multis aliis causis natales ducere queant.

Medicus in dignoscendo inter hunc et quosdam alios morbos, summa cura et attentione uti debet; nam ut interdum est difficillimum, sic quoque semper utilissimum et valde necessarium, et saluti aegri et ipsius existimationi. Quamvis pulsatio est indicium in

quo maxime ad aneurisma discriminandum innitimur, tamen semper in mente servandum est, non omnem tumorem, prope arteriam situm, et pulsatione pulsum arteriarum referente praeditum, semper aneurisma esse; nam, et aneurisma, cum per tempus satis longum permansit, et certam magnitudinem adeptum est, vel vix pulsat, vel omnino pulsare desinit ; et quidem alii tumores, natura ab aneurismatibus prorsus diversa, ita speciem formamque horum morborum quoad situm et pulsationem induunt, ut a medicis etiam peritissimis vix distingui possint. Permulta errorum exempla, et quorundam etiam gravissimorum, et hac et ab illa causa, haud desunt apud scriptores medicos. Cum tumor itaque est situs in cordis, aut quarundam arteriarum vicinitate, an pulsat an non, medicus non in eum incidere curaret, priusquam et historiam morbi, et omnes alias res ad eum pertinentes, quam plurimum investigaverit et perscrutatus sit. Aneurismatum pulsus, ut supra memoravi, cum satis grandescunt, saepe

in toto sentiri desinit. Causa hujus pulsus cessationis est, cum vis resiliendi sacci tumoris, magna distentione penitus superata, ut diutius sanguinem in arteriam repellere parum valeat, humor qui saccum distendit paulatim coagulatur, et in laminas condensatas disponitur; et quo major tumoris distentio, et coagulatio sanguinis processerunt, eo minor pulsatio sentiri potest. Interdum in hoc statu evenit, chirurgum aneurisma tantum apostema esse credentem, scalpellum in tumorem infixisse, et miserrimum aegrum animam cum sanguine protinus effudisse. Nec in altera vice quoque, error de hac re parvi momenti est; nam si apostema, steatoma, glandula tumefacta, vel quicunque alius tumor, prope arteriam sita, et ab ea pulsationem recipientia, pro aneurismate habeantur, quanquam periculum ab hoc non tam insigne erit, tamen et permagnam anxietatem aegro, et falsam indicationem medico praeberet. Nuper, audivi, quendam ab India Orientali ad hanc regionem advenisse, medicos nostra-

tis consultum, de tumore in ejus collo, quem chirurgi in illa terrarum orbis parte perperam aneurisma esse judicaverunt; sed cum concilium, Londini, a cel. medico petivit, certior factus est haud aneurisma, sed morbum prorsus diversum et multum sanabiliorem esse.

Aneurismata saepe sine ulla causa evidente oriuntur, saltem difficillimum est ullam dare. Arteriarum magnitudo et curvaturae inter ejus causas praedisponentes enumerari solent. Aneurismatis causae esse possunt, quae arteriae tunicas debilitare, sanguinisque impetum in arteriam debilitatam augere possunt; et in uno vel altero horum modorum agere putantur spirituum ardentium abusus, usus nimius, vel nimium frequens mercurii, vulnera, distentiones, contusiones, fracturae, ulcera, nisus vehementiores, vomitus, tussis, suppressio haemorrhagiarum consuetarum, et congenita denique alicujus arteriae, seu totius generis arteriosi debilitas.

Quaedam arteriae prae aliis huic morbo obnoxiae sunt. Sic aneurismata interna exter-

nis sunt frequentiora. Inter interna, ea sunt frequentissima quae ad arcum aortae; inter externa vero ea, quae ad poplitem occurrunt. De causa qua haec plus quam caeterae arteriae externae hujus morbi sedes est, inter medicos sub judice lis est; at verisimillimum est id oriri ex subita, valida et magna artus, et igitur arteriae distentione, in iis qui, ob mores vitae, genibus flexis plerumque utuntur; et in hujus observationis confirmatione notatur, aurigas et equisones aneurismati popliteo magis obnoxios esse.

Aneurismata plerumque sunt singula; sed interdum evenit, propter habitudinem corporis, duo et etiam plura vel eodem tempore, vel aliud post aliud, vel in eadem arteria, vel alio atque alio loco, miserrimum aegrum excruciant. PELLETAN * de hac re observavit, "J'ai vu plusieurs fois ces nombreux aneurismes occupant indistinctement les grosses ou les petites artères, mais sur-tout

---

* Clinique Chirurgicale.

celles des capacités; j'en ai compté soixante-trois sur un seul homme, depuis le volume d'une aveline jusqu'à celui de la moitié d'un oeuf de poule."

Quoad prognosin, omne aneurisma, in universum, periculosum est, quinetiam lethale, nisi artis auxiliis occurri possit malo. Pro diversa tamen morbi specie, sede, gradu, corporisque habitu variat. Certius medelam respuit morbus, si plures tumores simul adsint. Interdum tamen feliciter accidit aneurisma, nullo auxilio artis adhibito, sua sponte sanari. Id, coagulo ab interna tumoris parte sejuncto arteriam infra saccum obstruente, et ita circulationem sanguinis per eum prohibente eveniri possit; vel fortasse tumoris compressione ingressum sanguinis in saccum non permittente. Circulatione sanguinis per tumorem vel illo, vel hoc, vel ullo alio modo cessante, is qui in sacco aneurismatis est protinus coagulatur, vasis absorbentibus avehitur, canalisque arteriae denique obliteratur, et ea pars vasis,

quae sedes aneurismatis fuit, in aliquid simile funiculo condensatur.

Anno proximo hominem vidi, cui magnus tumor fuit ad arteriam subclavianam sinistram situs, quem quidem medici peritissimi aneurisma esse judicavere et pronunciavere, et anxii aegrum cita et subita morte sublatum iri, expectaverunt. Haud ita aeger: ille securus tumorem parvi pependit, et cum fiducia dixit, se sanitatem usu balnei frigidi recuperaturum; nam se paucos antehac annos, tumorem omnimodo similem huic, in eodem loco lateris dextri habuisse, qui brevi hujus remedii usu sanatus fuit. Hac spe adductus, mare petivit, et balneo marino usus est. Post breve tempus domum rediit: tunc pulsatio tumoris omnino decesserat, et postea, paulatim, tumor ipse prorsus subsedit. Ab hoc tempore tamen, nullus pulsus in cursu arteriarum brachii sinistri potest sentiri, quanquam calor ejus idem ut in altero latere est.

Cum historiam hujus aegri, ut supra tradita est, jam condideram, et totum circiter an-

num post sanationem tumoris, vir mortuus est. Quanquam ad genus vitae laboriosum rediverat, tamen nunquam sanitatem et vim prorsus recuperavit. Per aliquot menses ante mortem ejus, variis affectionibus in regione thoracis, et torpore crurum vexatus fuit; quibus indies ingravescentibus, perfecta tandem sensus et motus inferiorum corporis abolitio, mortis fuit praenuncia.

Post mortem ejus, facultate corpus incidendi ab amicis data, causae omnium symptomatum, statu partium, clarissime demonstratae sunt. Portiones et subclavianam et axillarem arteriae brachialis sectione deteximus. Arteria ab initio in aorta per omnem eum tractum obliterata fuit, et in funiculum condensata. Ad initium hujus arteriae, vestigium aneurismatis, quod annum antehac sponte sanatum fuit, inventum est, et in eo coagulum parvum et densum adhuc restitit. Ad aortam quoque ultra arcum, aliud magnum aneurisma situm fuit, quod fuerat causa mortis; in saccum cujus, qui coagulo refer-

tus fuit, aditus diametri circiter digiti, ex posteriore parte aortae fuit. Hic magnus tumor compressione corporum sex superiorum vertebrarum dorsi, et extremitatum quarundam costarum lateris sinistri absorptionem induxerat; et in una parte, aneurisma, nullo osse intercedente, medullam spinalem compressit. Praeparationes omnium harum partium morbidarum, in museo anatomico Doctoris Barclaii conservantur.

Aneurismatis periculum est, cum ruptura sacci tumoris adest: quo major tumor, eo gravior morbus, eoque magis ruptura timenda est. Cum ad hunc finem ventum est, miserrimi aegri, minimo plerumque temporis spatio, immani sanguinis effusione pereunt. Praevidetur externa ruptura aneurismatis, ex maxima tumoris tensione, prominentia, cutis attenuatione, decoloratione rubra coerulea, nigricante, rimis simul conspicuis. Lethalis haemorrhagia non exulceratione erumpit. Pars tumoris maxime prominens, tenuis, et decolorata, gangraena afficitur, et hac a

partibus vivis separata, profluvium sanguinis erumpit.

Quamvis, fere semper, hic morbus citius aut serius certam mortem inducit, sed nihil tam multum variat atque temporis spatium, per quod, in diversis aegris perduret; nam multum ratione vitae pendit, an sit laboriosa, an otiosa, an cum temperantia, an prorsus ab hac diversa. Etiam ruptura aneurismatis interni non statim aegrum interimat: RICHERAND * historiam cujusdam tradit, in quo aneurisma aortae abdominalis, tres saccos, alium post alium formaverat, et ruptura tertii tantum hominem occiderat.

Aneurismata interna vicinas partes comprimendo interdum aegrum interimunt, antequam parietes tumoris rumpuntur; et in omnibus corporis partibus sita, ossa in vicinitate comprimendo, absorptionem eorum inducunt, ut id saepe videri possit in sterno, costis, vertebris, femore, et similibus.

---

* Nosographie Chirurgicale.

## DE CURATIONE ANEURISMATUM IN UNIVERSUM.

Aneurisma, quacunque ab causa originem duxerit, cum semel ortum sit, a pejore indies ad pessimum tendit, et nunquam sanari potest, nisi arteria ad quam situm est, pro certa tractus parte, et supra et infra sedem tumoris, vel arte, vel natura obliteretur. Rationem, in qua natura, nullo auxilio artis adhibito, huic morbo mederi putatur, supra ostendimus; sed nunquam medicus huic inniti debet, si aneurisma in aliquibus arteriarum extremitatum, vel in ullo alio loco, haud ultra potestatem chirurgicae artis situm sit. Modi quos ars in hunc morbum sanando adhibet, duo sunt, *compressio*, nimirum, et *ligatura*. Cum aneurisma compressione sanatur, curatio nunquam, ut quibusdam

visum est, ulla pressura confirmante tunicas arteriae proprias relaxatas et distentatas, perficitur. Quibusdam aliis placuit, vulnus arteriae posse sanari, coagulo id obstruente, et ita effusionem sanguinis in saccum aneurismatis prohibente, continuitate canalis servata, ut fuit ante injuriam. Aneurisma, interdum, in hoc modo, curari posse, ab experimentis Jones et observationibus Scarpae confirmatur; sed et rarissime evenit, et cum evenerit, cicatrix semper in eo statu permanet, ut morbus facile, vel partis contusione, vel vehementi artus extensione redintegretur. Itaque fides haud debetur ulli modo sanationis, nisi ei, per quem, pars arteriae, in qua aneurisma situm est, obliteretur.

Ut hic morbus compressione sanetur, necessarium est, ut tunicae arteriae, ad partem cui pressura admovetur, tanta vitalitate praeditae sint, ut *inflammatione adhaesiva* afficiantur, et tanta vi, et per tam longum tempus comprimendae sunt, ut, inflammatione concitata, concrescere incipiant. Compressio,

non tumori ipsi, sed arteriae inter eum et cor adhibenda est; si infra tumorem adhibeatur, tantum incrementum ejus accelerat.

Quidam in omni aneurismate usum compressionis suadent; et varia instrumenta et torcularia, a variis medicis, ad eam efficiendam sunt inventa: sed in quibusdam, tamen, non tantum est prorsus inutilis, sed etiam injuriosa; et fere in omnibus, fortasse, curatio usu ligaturae, et tutior et citior, et jucundior perficitur.

Trunco arteriae, inter aneurisma et cor, ligatura compresso, et cursus sanguinis in saccum aneurismatis certius divertitur, et *inflammatio adhaesiva* divisione tunicarum vasis internarum, certius et maturius inducitur. Via solita, per truncum, sanguini negata, arteriae laterales, ut communicationem inter ramos trunci supra et infra tumorem conservent, plurimum dilatantur; aliae cum aliis committuntur, et ita quantitatem sanguinis necessariam partibus infra ligaturam transmittunt.

Facilitas, cum qua rami anastomotici laterales dilatantur, varia est, in diversis animalibus, et in eodem homine diversis temporibus. Quoad habitum corporis, robusti, vegeti, sani, juvenes, facilius operatione ab hoc morbo liberantur, quum in his arteriae laterales minus resistentes, vi propellente cordis facilius extendantur. In robore et annis labentibus, rarius operatio succedit.

Cum curatio, in hoc morbo, sine auxilio artis efficitur, natura lente et gradatim agit; quo major contractio trunci fit, eo major dilatatio ramorum anastomoticorum. Haec lenta naturae operatio, interdum, feliciter a medico imitatur, truncum arteriae ante operationem comprimendo, quod opportunitatem vasis lateralibus sese dilatandi praebet. "A limb may be lost, and I venture to say many have been lost, where the accommodating power of the system, from want of ability, or from want of time, could not possi-

bly provide against the effects of sudden obstruction *."

---

## DE ANEURISMATIBUS AORTAE ET EORUNDEM CURATIONE.

Omnium morborum quibus corpus humanum obnoxium est, nullus aut terribilior aut magis lethalis aneurismate interno; et nullus, certius, inevitabilis mortis, et aegro et medico terrorem incutit. Arcus aortae, omnium systematis arteriosi partium, frequentissime esse sedes hujusce morbi putatur. Praesertim in senibus occurrit, et in aortis fere omnium provectae aetatis, tunicae internae vasis, in conditione plus minusve morbida, observantur; quae conditio, sine dubio, causa hujus morbi praedisponens existimetur.

---

* Barclay's Description of the Arteries.

Priusquam tumor pulsans extus sentiri potest, omnia symptomata, quae hunc morbum comitantur, sunt ambigua, ut huic aliisque morbis thoracis communia. Quamvis arcum aortae praecipue occupant, tamen aneurismata, quoque in omnibus aliis hujus trunci partibus, tam in thorace quam in abdomine inveniuntur.

Cum aneurisma, per longum tempus, in aliquid os premit, absorptio ejus producitur, et tandem sub cute pulsat; hac, denique, cum parietibus tumoris decedente, immane sanguinis profluvium certissime aegrum trucidat. Tamen finis hujusmodi huic morbo haud perpetuus est: Interdum corporibus vertebrarum deletis, medulla spinalis comprimitur, et ita paralysis partium inferiorum inducitur: Interdum, aorta intra pericardium cedit, et hac membrana sanguine distenta, motus cordis conquiescunt, vel rupta, humor vitalis in thoracis cavitatem infunditur: Interdum, tumor ita tracheam et bronchia comprimit, ut aeger, priusquam effusio sanguinis

incipit, suffocatur, vel sanguine in arteriam asperam, vel in ramos ejus infuso, aeque perit: Vel, denique, aneurismata, pulmones, gulam, ductum thoracicum, venas, intestina, vel alias partes, plus minus vitae necessarias, comprimendo, et eorum functiones impediendo vel delendo, serius aut citius e medio miserrimum aegrum rapiunt.

Aneurismata interna, ut manu non possunt mederi, fere semper a medicis derelinquuntur ut omnino insanabilia, et tantum anxii sunt symptomata extenuare, venaesectionibus repetitis, scrupulosissima quiete, cautissimo mentis corporisque regimine, ac opii prudente usu; et nuper digitalis purpurea quoque adhibita est, cum intentione alia medicamenta adjuvandi, ut magna et mirabili vi impetum cordis et arteriarum coercendi praedita est.

Valsalva jamdudum sibi persuasum habuit, hoc modo sanationis, morbum non tantum levari, sed etiam persanari posse. Hac

intentione, tam magnam vim sanguinis detraxit, et ita gradatim quantitatem cibi et potus diminuit, ut aegri ad summam debilitatem redacti sint. Magna inanitate vasorum, in hoc modo impetrata, nutrimento indies augendo, iterum, paulatim extremam debilitatem submovit. VALSALVA compertus est, quaedam aneurismata interna, tractata hac ratione, persanata fuisse, non modo omnibus symptomatibus in quibusdam evanescentibus, sed quod minime dubium est, ab dissectione in corpus cujusdam instituta, qui ita hoc malo liberatus fuit, et postea alio morbo decessit. Nuperius quoque, praeter haec a VALSALVA commendata, glacies, aqua cum aceto mixta, vel aliae applicationes refrigerantes, vel astringentes, tumori extrinsecus imposita fuerunt. SABATIER * historiam aegri tradit, in quo aneurisma in axilla hac ratione sanatum fuit; et cel. PELLETAN †, chirurgus Gallicus,

* Médecine Opératoire, tom. 3. † Clinique Chirurgicale.

plures alias nuper in lucem prolatus est, aneurismatum et in aorta, et in aliis arteriis, quae vel prorsus sanata, plusve minusve sublevata fuerunt.

---

## DE ANEURISMATIBUS EXTERNIS ET EORUNDEM CURATIONE.

Nunc tantum mihi restat, ad perficiendum quod mihimetipsi in hac dissertatione proposui, pauca dicere de hoc morbo, et de ejusdem curatione, cum in ullis ramorum aortae, ope quorum sanguis in artus et caput devehitur, accidit. Nam non in animo est, multa de aneurismatibus externis seorsum in hoc loco disserere, quoniam jam de his quoque in paginis praegressis tractaverim. Omnes arteriae externae, non extremitatum tantum, ligatae fuerunt, sed etiam carotides communes in propinquitate organorum maxi-

mi momenti totius corporis, et iliacae externae quoque in abdomine sitae, ab hodiernis medicis sub dominationem medicinae chirurgicae redactae sunt.

Omnium arteriarum externarum, portio poplitea arteriae cruralis, ut supra diximus, maxime huic morbo obnoxia est; et itaque, primo, de aneurismate popliteo aliquid dicendum est. Cum hic morbus occurrit, medicus, neque in compressione neque in operatione naturae, neque in ulla alia re praeter ligaturam inniti debet. Olim, in hoc morbo, mos fuit, arteriam juxta tumorem, in superiore poplitis parte, ligare; sed ut arteria, per aliquod spatium supra tumorem, in statu morbido plerumque inventa fuit, et itaque concretio parietum vasis, ligatura adhibita, incerta fuit, et saepe spem medici fefellit, celeberrimus Joan. Hunter, arteriam ligare, circiter mediam femoris partem, adductus fuit. Ab tempore ejus, haec operatio varias mutationes, ab Abernethy, Scarpa, et aliis

chirurgis hodiernis in medium allatis, subiit; et nunc, in hoc modo, optime perficitur.

Incisione facta in inferiore parte ejus cavi, in quo arteria currit, ab ligamento Poupartii ad partem femoris in qua incipit musculo sartorio obtegi arteria denudatur, et ab vicinis partibus pro spatio circiter digiti separatur. Arteria ita detecta, duobus firmis ligaturis circumdatur, quarum una ad superiorem et altera ad inferiorem partem denudatae portionis vasis, sunt ligandae, ubi connexio inter arteriam et vicinas partes quam minime convellitur, et denique arteria, inter duas ligaturas, sed propius inferiori dissecanda est. Hunc locum pro operatione, omnibus aliis anteponimus, quum in eo, arteria sub integumentis currit, nullis musculis obtecta, itaque operatio et citius et facilius perficitur. Et, quo longius ab sede aneurismatis arteria ligata sit, eo minor metus erit ut tunicae morbidae arteriae felici exitui obstent. Arteria inter ligaturas divisa sese in membranam cellularem retrahit, et sensus tensionis

in vulnere et ab eo per longitudinem femoris tendens, qui, hac re neglecta, accidere solitus fuit, haud observatur; et alius effectus quoque, non parvi momenti, ab hac divisione et retractione vasis, evenit; nam angulus, ad quem arteria profunda ab trunco surgit, non modo minuitur, sed etiam *arteria femoralis communis* per rectam lineam in profundam dirigitur, et itaque sanguis pleniore rivo in hanc arteriam fluit *.

Mense Aprilis, anno millesimo octingentesimo, vir, qui per aliquot menses aneurismate popliteo laboraverat, ab morbo, operatione facta chirurgo peritissimo, GEORGIO BELL, liberatus fuit. Arteria, circiter mediam femoris partem, duabus ligaturis probe constricta fuit, distantia fere dimidii digiti inter fila intercedente, et vas in medio inter ligaturas divisum fuit. Post operationem, omnia fauste processerunt, et brevi posthac, et aneurisma et vulnus sanata fuerunt.

---

* Barclaius, in praelectionibus ejus anatomicis, hoc probat demonstratque.

Duodecim circiter annos post hoc tempus vir demortuus est, et pulcherrima hujus artus praeparatio in museo Barclaiano asservatur. Haec ab JOANNE DICKSON, chirurgo in classe regali facta fuit, anatomico, qui in diligentia, studio, et successu, in dissectione vasorum corporis humani, longe omnibus, qui hanc utilissimam anatomiae partem excoluere, antecelluit.

In hoc exemplo, arteria cruralis in duobus locis obliteratur; in portione femoro-tibiali, ubi ligata fuerat, pro spatio trium circiter digitorum deest, et iterum in portione poplitea, ubi fuerat sedes aneurismatis. Hae tres arteriae divisiones vasis lateralibus inter sese connectuntur, et haec tanto dilatantur quanto necessarium fuit ad transmittendum sanguinem ultra arteriae obliterationes. Omnes hi rami inter primam arteriae obliterationem et initium arteriae profundae oriuntur, praeter unum parvum qui a profunda originem ducit.

Modus operandi pro aneurismatibus, in aliis corporis partibus, caeteris paribus, simi-

lis est ei quem supra descripsimus; itaque haud necessarium est ultra de hac re disserere.

Annos octodecim antehac, cel. ABERNETHY, primo, iliacam externam intra cavum abdominis ligavit. Ab eo tempore, haec operatio, ab illo, et aliis medicis, in tam variis exemplis, et tam feliciter perfecta est, ut in ea, cum eadem fiducia, fortasse, ut in operatione pro aneurismate popliteo inniti possumus.

Chirurgus *, qui nuper medicinam in insula St. Croix exercuit, me certiorem fecit, se, duos antehac annos, ibi, in serva nigra, arteriam iliacam internam, paululum ab origine, ligavisse, et ita magnum aneurisma in regione coxendicis sanavisse.

Aneurismata arteriae brachialis, saepe in portione humerali, et interdum in axillari, constringendo vas, inter tumorem et cor, persanantur. Quidam, etiam portionem subclavianam, sed adhuc infeliciter, fateor, ligave-

* Mr Stephens, formerly assistant to the late Mr A. Burns.

re; et fortasse haec operatio nunquam bonis avibus procedet *.

Carotides communes iterum atque iterum nunc ligatae fuerunt; et experientia docuit, aneurismata circum caput et collum, sine notabili periculo, posse in hoc modo sanari.

*Aneurismata ab anastomose* ut species naevorum maternorum, nunc a quibusdam vocantur, si necessarium esset aliquid facere, totius tumoris extirpatione curentur; vel si id non possit fieri, arteriam ligando, qua sanguis tumori suppeditatur.

*Aneurisma varicosum* est venae, ob communionem praeter naturam cum adjacente arteria, varicosa expansio; et, ut, sine notabili damno, per multos annos tolerari possit, observatione compertum est, nunquam fortasse necessarium est medicum aliquid in hoc morbo tentare.

---

* Vide Barclay on the Arteries, p. 226.

FINIS.